consultus æthræ, siderum pius vates,
summi sacerdos, flamen orbis inferni
et multiformis jure mysta naturæ,
felix Gebharde, quando publicus scribis
solis labores et molestias Phœbes
docesque pulcer, quæ sit in jacens punctum
custodientis cura pervigil cœli,
nobis stupendum, conscio tibi sane
vulgare præstas, creber hospes es cœli
multusque calcas siderum pavimentum.
Hinc cuncta doctis erudiris a stellis
teque ipsa per se se subinstruunt astra.
Amice, tantis vive commodis faustus;
miramur in te, quod pater stupet, cœlum.

M. IXbr. MDCXXXV.

6. Pro Conjuge Brocmani, primum mox puerpera.

1636. Mai 27.

Lucina, namque supplici tibi voto
advolvitur tuis, genu minor, sacris
insons poëta, purus oris et cordis,
quem gentium cultum probatis Aeterni,
ades vocata, sed benigna, sed lenis,
et has paventum prona conjugum voces
fidelis audi; seu maritus exoret,
rudisve partus sera te roget conjunx,
dum prima solvit, quod secunda mox debet,

Digitized by Google

accede mater, muneris memor tanti,
tuumque fessis blanda numen acclina.
Te Prorsa fœlix Nascioque ter fausta
pronæ sequuntur Nixiique solennes
et obstetricum quicquid incolit cœlos.
Hucusque sic quod pollicemur obscuri,
seu masculini schema prodeat vultus,
seu fœmininæ forma blandior frontis,
utrumque quæ pari parentium censu
æquet vigore mentis, exprimat vultu,
gavisa faustæ pulcritudinem prolis
Levana tollet et parentibus tradet.

Moscuæ, XXVII Maij. XXXVI.

7. Martino Opitio Sæculi Maroni.

1636. Juli 21.

Aeterne vates, ipsius tui vindex
et certus ultor, quando juge mortali
carmen papyro condis et, legi pulcer,
stupentis omne commoves genus gentis,
blandus, facetus, acer, arduus verbo,
grandis cothurno, nec modernus ad soccum,
seu Teuto scribis, cujus es parens plectri,
quod hæc adorat, gens futura miratur,
seu lege liberam loqui facis Romam,
ipsos triumfas Cecropis senis patres
pronumque victor Ausonem stylo ducis.
Stupere pergas, Galle, Belga, mirari
victoque, Bætis, invidere cum Pado.
Mens mente vestra major emicat nobis
nostræque vestris altius fluunt lymfæ.
Germana Seiren, ore Nestoris major,
amussis artis, norma disciplinarum,
compendiosæ plena lex venustatis,
o dulcor, o fatale nectaris flumen,
o insolentis non sequenda vis mentis,
quo nos valoris impares tui linquis?

Moscuæ XII. Kal. Sextil. XXXVI.

Digitized by Google

8. Ad Crusium tempore sic volente.

1638. April — Mai.

Quousque lento serviet tibi tempus
gens nata nullis mancipare se sceptris,
sibi creata, paritura necquicquam,
si durius quid imperet pater cœlum?
Ego salutis artifex meæ pridem
vitæque præses, omne ego mihi dives,
omne, omne tutum nuper et meus totus,
quid hic famelicosus esuritorum
dapes adoro, quas inanitas replet,
turpisque mercenarium quid inclinans
herilitatem miror usque servilem,
joco severam, conspicabilem fuco
suaque tantum vanitate turgentem.
Hic ille pictus, ille totus auratus,
scelesta pestis seculi venenosi etc.
multa desiderantur.
. . . . . .
Tunc liber artis, liber oris et vitæ
illique primo congruus mihi totus,
in perduelles justus ultor audaces
armabo Jambos vindicique Scazonte
quinquenne sugillantium nefas una,
sed strage seria verendus ulciscar.
Tunc plaude, Crusi; nunc sed obtice mecum!

Tarcoviæ.

9. Amico nominalem celebranti.

1639. April 8.

Sodalitatis intimum meæ robur,
per integrumque dulcis arbiter lustrum,
ostende sudo liberum caput cœlo

*

9. 3 sude Hs.

Digitized by Google

et ille totus, qualis ante sex messes
mittente mecum patria foras ibas,
visurus orbem, quem Favonius noster
suspirat e cadentis balneo Phœbi
ipsisque permittit cubilibus Solis.
Redimus Austro fervidamque torpente
meridiem Arcto temperamus optati.
redimus ergo pulpitis tamen nostris
abunde sero, par Apollini charum
et dulce Pindo. Prodit arbiter mortis
vitæque custos Hippocras et amplexu
solvi negante copulat diu fratres
et jam cor unum. Posteri, comes dulcis,
loquentur anni, si quid astruit vivax
omni Thalia nostra morte ter major,
ipsique mundo; posteri scient, inquam,
quam mens duobus una jugiter nobis
fuerit eritque. Corpus istud, hanc pellem,
has terra nobis terreas dedit partes,
matremque sequuturas vel ocyus dicto;
sed spiritus, sed mens, sed intimi motus,
per quos amamus, erudimur, optamus,
æquale patri, qui dabat, Deo perstant,
queis vivitur digne suum super fatum.
Exultat ordo diligentium littus,
quod verberante musicum nemus pulsu
oberrat undis et Novensiles potat.
Impende nobis hunc tibique procura
diem, rogando cœlicum prius numen,
ut faustus ornes patriam, velut fœlix
illi redibas. Quod deinde restabit
tempus, voventi collocabimus Baccho
ipsique pro salute serios nostra
ducemus haustus. Hoc Diespiter mandat,
hoc imperantis est vocabulum cœli.

*

9 Rodimus Hs. 10 optati Hs.

Digitized by Google

10. Scazontes Reinero Brocmano a professione gymnasii Revaliensis ad Tristferensium parochiam abeunti a Paulo Abrahamide Flaminio exarati.

1639. Mai 8.

Pridem tenellæ temperator ætatis,
virtute multus, arte totus et Phœbo,
nunc mysta cœli quinquies vocatoris,
Reinere, nostri sera pectoris cura
et dulcis ardor, si quid hæc manus posset,
quod posse quondam vix recordor et plango,
nec aruisset omnis humor in nobis,
quem Cyrrha potat, inter Asiæ siccos
flagrantis æstus, unico tibi, juro,
totus vacarem, largus oris et crenæ,
dum mitis æther reddidisse nos nobis
tandem quievit teque faustius fatum
honore, censu, stirpe, spebus et vita
potenter auget indiesque perditat.
Ignosce fasso, languidi rogant versus,
testes supremi! diximus vale Pindo,
inutilesque nauseamus ad Musas.
Novelle Mysta, Viriæ recens sidus
tuæque certa Tristferæ salus et pax,
expunge blandus lacrymas Revaleæ,
siccante labro suaviisque non paucis
desiderantis te cor Harridis mulce
abique præsens et suus tuis semper!
Septemplici vir eruditus a Phœbo,
Lego loquentis audiens favos linguæ
Reineriumque mel potenter immitto,
avarus auris, oris atque conspectus.

*

1 novellæ Dr. 8 Asiæ duros Dr. 14 sublimat Dr. 16 vale Phœbo Dr. 18—23 in dem Dr. = 21—26. 18 Novella Hs. 21 tepente Dr. 26 tuis suus Dr. 24 = 28 Dr. 25—27 im Dr. = 18—20.

Digitized by Google

Qui nuper imbuebat arte tot mentes,
nunc mysta factus undiquaque salvabit.

Fecit Revaliæ postrid. nonas Maii 1639
Paulus Flaminius, Variscus.

11. Viro incomparabili et supra exemplum magno Danieli Heinsio.

1639. Oct.

Aeterne vates, sæculi tui monstrum,
stupor futuri, culmen artis et linguæ,
quas Hellas olim posthumo dedit Remo,
dum se tot ora gentium salutantum
tibi supinant hocque dexteræ numen,
quo figis orbem, sistis astra magnamque
te sustines sufflaminando naturam,
vix non adorant; exterum tuo cœlo
admitte nomen, forsan hoc et indignum
minusque parvo nec sui capax voti,
sed impotente, sed moræ rudi nisu
tui videndi prorsus omne succensum
flammansque totum. Pande lenis et prodi,
pater Sororum, Cyrrha quæ novem potat.
Dum Grotium, dum Barthiumque Buchnerumque
et si quod his par alterum colit nomen
diversus orbis, æstimator haut vanus
illos in uno miror Heinsio cunctos.

Lugduni Batavorum m. Octobr. MDCXXXIX.

12. In novam editionem poematum Caspari Barlæi.

1639. Nov.

Victricis ingens Belgii tui lumen,
Phœbi sacerdos, sive carmen optamus
seu vim medendi, duplici potens arte,
utrimque totus nesciensque majoris,

*

28 = 27 Dr. 5 deteræ Hs.

Digitized by Google

Barlæe vates, ede virginis, semper
fœtus Minervæ. Cœlibi quot amplexu,
nec impotente, condidistis huc usque,
tot prolium parentibus venustarum,
tot prolibus parentiumque tam divum,
minor genu, mirator orbis applaudit
manusque tractat osculisque perfundit.
Maro Latinë, Romuli nepos Naso,
suis uterque non sequendus in plectris
hucusque, qui vos æquet, unus hic tandem est.

Amstelodami MDCXXXIX m. IXbri.

Digitized by Google

SYLVARUM

LIBER VI,

IN QUO

JAMBI.

Præcellentissimo Viro Dn. Joanni Origano Medico Mathematicoque Absolutiss. Patrono Nuper Meo Domestico Gratitudini Testandæ Dico Paulus Flemingus.

Digitized by Google

JAMBI.

1. Francisco Murrero Suo.

1634. März 31.

Francisce dulcis, une pectoris calor
et cordis intimum mei,
quid esse dicam, quid vel ominer ratum
primo futurum tempore
ex hac, subinde quam doles mecum, mora,
abominabili mora.
Frustra solutos increpat senex Notos,
quum spumeum turbant mare.
Sinamus horæ, differamus in dies,
quod mille parturit neces.
Et omne, quicquid est ubique, lacrymæ,
et fletuum quicquid cadit,
misertor annus plumea tegens manu
ab humida tergit gena.
Annosus evaporat ad nullum dolor
et cum senecta deficit.
Utamur ævo, cura pluribus levis,
sed invidendi plurimis.
Dum multus otiatur ad latus comes,
vino rubet, somno perit,
studet fritillis, acer aleam jacit,
par simus hinc prudentius;
vel aureorum segreges voluminum
meridiemur incubi,
vel eruditis, docta quod solet cohors,
sermocinationibus
fallamus omne, quod dierum præterit,
fallamus omne noctium;

Digitized by Google

papyrina vel omne terrarum via
lento pererremus pede,
vel exteris nos applicemus oribus,
Gallo jungentes Italum.
Et si venustatum quid esse non negas,
ambobus addo tertium.
Quid illud? illud nosse quod juvat, pigri
hic dum moramur hospites,
quod si fathiscat ægra spebus mens suis,
quid restat ægrimoniæ,
relecta denso discutit palam pede
Novæ platea-Gardiæ.
Quid dum velimus evenire faustius,
quid accidisse lætius?
Contentus aufer, fata quem miscent statum.
Opinione perdimur.

Neogard. Ruthen. prid. Kal. Apr.

2. Philippo Crusio Legato.

1634. April 13.

Facunde Crusi, quo disertius nihil
quicquam vel eruditius
sol ipse, si mittatur, auditum refert,
visum vel affirmat redux,
Arpiniano mel potentius favo,
quod rostra perpluit sua,
fabrique nato nectar oris dulcius,
quod Atticum bibit solum,
ignosce fassis, si quid impares tuæ
audemus ore gloriæ
carmenque molle, dissonum, claudum, leve,
non rore potum musico,
conamur illis applicare, illis tuis
o delicatis auribus.
Non siderales tuta tentabit vias,

*

32 jugentes Hs. 35. 38 quod Hs.

Digitized by Google

quas armiger Jovis secat,
columba mergens, patrii tenax soli,
et hospes aëris sui.
Sic parva magnum cymba pervicax fretum
cum non veretur, interit.
O dulce, forte, robur o vocis grave,
valore masculo potens,
hæremus ore, mente labimur, manu
regi vetante perdimur.
Sis blanda nobis, sis diserta vox diu:
sic laude non eges mea.

d. XIII. Apr. XXXIV Novogorodia.

3. Jan. Adolpho Raschio, super nominali ejusdem.

1634. Juni 24.

Si largientis omne munerum manus
totumque quod damus tibi,
avarus æstimator et durus nimis
rigente mensu supputas
et hinc vel affectum tuorum, qui sumus,
stricto libras examine,
vel curiosi siccus helluo lucri
metiris ad virgam trahens,
fatemur: Erras, consul improbus tibi
nobisque censor non favens.
Non ære fulvo ponderanda merx amor
nec mentium venit favor.
Quodsi subiret causa ditandi tui,
possisque semper, quod velis,
daremus illa, plebium quæ fæx amat
et quod rogatur Dispater.
Non hanc faventi Nisæus pressit pede,
dulci saliva roridus,
infusa largus sumeres, si sint, mera,
reposta clavibus decem.
Nos Pan agrestis, Pan ovilium vigil,

*

2. 24 valente Hs. 4 mensa Hs.

Digitized by Google

Pan Russiæ præses suæ,
beavit agno barbaroque, sed bono
ex osse Chesinus pater.
Hæ pauperis Septentrionis sunt opes
Novæque gazæ-Gardiæ.
Sic vile danti, si locum, tempus, tuos
agnoscis, ignosces, reor.

Novogorod. MDCXXXIV.

4. Sub adventum Legatorum Novogorodiam.

1634. Juli 28.

Lætamur ore, mente plaudimus mera,
nec pes, nec absistit manus,
quotquot fatigata dehiscimus mora
Novæ sub orbe Gardiæ,
desueta cunctis hactenus gens risibus
speique non capax suæ.
Valete curæ, mentium tortor genus,
et omne, quicquid est crucis,
et quicquid ægrimoniæ subtus gemit
et ossa perfurit pigra.
Illuxit ortus. Umbra dissili nigra,
imbres latete! Sol adest.
Abite luctus, interite næniæ,
ut pristini vivant sales.
Plorate planctus, ejulate lacrymæ,
Cachinnus in risu natat.

MDCXXXIV. M. Jul.

5. Dedicatorium carminis propemptici Georgio Guilielmo Pöhmero, Patritio Norico, scripti Moscuæ.

1634. Sept.

Excelse sanguis, germen heroum patrum,
quos stemma clarat, sed magis virtus levat,
debemus omne, quicquid est nostrum, tibi,

*

5. 2 stemma tollit im Druck vom J. 1634.

Digitized by Google

si quid tenellum præter est nostrum melos,
quod serus æstimas amator et probas;
favoris omne fructus illud est tui.
Hoc namque toto jure fecisti tuum.
Abibis ergo, patriæ novum jubar
mox additurus, quod negatores polos
desiderante poscit hactenus prece,
hucusque frustra. Facta respondent suis
jam vota spebus. Pronus immines viæ
iterque totum, versus in tergus, paras.
Dolemus ægri. Dulcis abscedis comes,
vocate sæpe, post vocande sæpius.
I sospes inter mille cœlitum choros,
illuc reductus, quo tuorum te vocat
devotus ardor. Nos, quod in nobis ames,
pro te viales thure placamus Lareis,
papaverinas atque Termino dapes
cum lacte mistas, lance libamus cava.
I noster et vatis tui semper memor
fœlicis ævi candidos vide dies!

MDCXXXIV.

6. Alterius cujusdam nomine in Nobilis et Magnifici Viri Philippi Crusii nominalem.

1635. Mai 1.

Diserte Crusi, principis manus tui
et cor meum pii ducis,
si dona spectas, Irus est cliens tuus,
si vota, Crœsus est potens.
Nam mentis omne, quicquid est, debet tibi
et omne, quicquid est manus,
quæ tota sumptus solveretur in tuos,
solvendo si par jam foret.
Sed scimus, istis ipse dives non eges,

*

7 im Dr. vor 6. 9 additure Dr. 12 Jam facta Dr. 22 tui longum Dr.

Digitized by Google

sic accipis, quod possumus.
Patrone, sospes cœlites inter greges
absolve, quam tractas, viam
redique faustus. Interim, dum sic abes,
pro te deorum quicquid est,
numen precamur, semper ut felix eat
et nox et integer dies,
ut hoc amoenum, quod tibi grator, jubar,
vel centies cernas idem
meisque rebus, hactenus quod est ratum,
benignus acclines opem.

7. Super nomothesia Gymnasii Revaliensis Henrici Vulpii Gymnasiarchæ, ad eundem Catalectici.

163⅚.

Dum libero vinctum jugo lyceum
septemplici Novensilum catena
per publicos videmus ire vicos,
præcedit Ordo; Rectitudo dextram
lævamque Norma Lexque Fasque Justo
juncti tuentur. Hinc pedissequarum
centum sequuntur artium catervae
et tota magni plebs diserta Pindi.
Sed pone retro jugis inter altas
noctis tenebras aëremque crassum
confusa plorat et rudit supinum
inerudita turba, Prisciani
et mista densis menda barbarismis
et error exlex et licentiosæ
condormientis Mænades Vacunæ.
De Vulpio surgunt utrisque voces:
Debetur omne, quod valemus, uni!
Debetur omne, quod dolemus, uni!

*

7. 15 Mœnades Hs.

Digitized by Google

8. Christiano Cassio Politico V. CL. et Magno.

1639. Juli.

Facunde Cassi, principis tui decus
et universæ dulcis ardor Cymbriæ,
miramur illud eloquentiæ jubar,
per quod coruscus emicas terris apex,
ceu plena toto noctiluca sidere,
cum sudus æthram mulcet aër et soli
sursum videntis purus admittit globum.
Admitte votum, vir quod externus facit
novusque forsan omne per Pindi nemus;
et dum merentis indies crepant fores
tot Grotiis, tot Heinsiis, tot Barthiis,
pulsantis ad mei manum flecti rudem
non obde pessum; cominus stabo tibi,
hoc corpus absens, mente nec quicquam procul,
hujusque nectar entheum linguæ bibam
avarus oris, quod Diespiter probat,
Minerva laudat, prædicat plaudens Venus
et omne cœli vulgus ebrium canit.

Eytinum M. Quintil. MDCXXXIX.

*

2 ardo Hs. 7 videnti?

Digitized by Google

SYLVARUM

LIBER VII,

IN QUO

GYMNASIUM REVALIENSE.

Digitized by Google

GYMNASIUM REVALIENSE.

1. Ad Gymnasii Revaliensis Professores Dedicatorium.

1635. April 5.

Hactenus obticui, nunc pigra silentia rumpo
et vos Ausonii scribere more paro.
Ille professores patriæ celebraverit urbis,
urbs me vestra, licet sim peregrinus, amat.
Ac licet ad tantum nequeamus surgere culmen,
in magnis quædam est laus voluisse tamen.
Quod pietas illum functis præstare jubebat,
hoc meus in vivos vos mihi suasit amor.

Scribb. Non. Aprilib.
Anni XXXV. supra M. et DC. Revelæ.

2. Ad Calliopam.

1635.

Tandem molesti sit modus otii.
Vacuna cessit, Murcia transiit.
Creber vocate, jam benignus
in mea vota venis, Agoni.
Nunc rumpe plausæ per sonitum manus
somnos inerteis, pollice nunc levi
sopore pressis terge turpem,
mens vigil, ex oculis veternum.
Cedo Latinam conscia barbitum,
regina Thressæ, Calliope, lyræ,
diu sat ægre feriatum
sollicitis ebur hæsit uncis.
Quiritet aër mollia saucius
pulsante clari verbere pectinis;

*

2. 6 nun Hs.

Digitized by Google

ictuque vocum vulneratæ
dulce quid illacrymentur auræ.

3. M. Henrico Vulpio, Gymnasiarchæ, Theologo et Philosopho.

Ille labor tuus est, schola quod Revalensis in isto
flore nitet celsisque altum caput inserit astris.
Rostochium tria lustra tibi, tres Revelis annos
favit, utræque tui dominæ candoris amantes
et studii, quod abunde probas. Huc quando venires,
barbaries tuus hostis erat, fera bestia Musis
et gravius nocitura suis Livonibus olim.
Illa Mycenæa pestis truculentior Hydra
Esthoniam late pavidumque ferissima Nereum
terruerat refugasque metu tremefecerat auras.
Tu novus Alcides, Aretes septemplici scuto
tectus et Aonidum radians face, flebile monstrum
aggrederis pugnasque diu. Cruor inficit artus.
Nunc caput hoc, nunc illud hiat de vulnere ferri.
Quotque cadunt capitum, generata tot ora videres
ocyus et duplices sumsisse a sanguine vires.
Nil trepidas; quod ab ense feris, picis oblinit ardens
humor et obductis coëunt vibicibus ictus,
donec ovans doctæ prosternis robore dextræ
fortiter et stygio pestem submergis Averno.
Sic olim innumeris tumidum Pythona sagittis
Thymbræus sanctis legitur necuisse poetis.
Fac, quod agis, crescensque tua pietate Lyceum
temperie moderare bona. Tibi præscius æther
officii dedit hoc animoque et corpore vires,
volvere Sisyphium scholico sub pulvere saxum.
Cernis, ut invidia rumpens ringatur Aëllo
atque colubrini distentus fæce veneni
livor ab impuro fœda evomat ilia ventre.
Dulcia laurigeræ post niceteria famæ

*

28 distentu Hs.

Digitized by Google

hoc quoque carmen habe, certi grave pignus honoris,
quod, majora licet, possum donare, merenti.
Non moriere omnis, nec te Cocytia mergent
flumina, sed serus gratis eris incola terris.

4. Timotheo Polo Poetæ.

Tu linis æternas vivaci carmine chartas
jugeque mortali pollice scribis opus.
Ingenium natura dabat, labor impiger artem,
pallidus et madido sudor ab ore pluens.
Quum comes insomnis nox pervigilata diei
mutatis toties iret et iret equis,
Bilblici redoles genium facilesque salinas,
Oxonii lepidum vatis acumen habes.
Hunc gravitate studes, illum superare nitore;
vincit utrumque tuus sub brevitate labor;
quodsi grande magis mentem tibi perculit œstrum,
ingentes simili res animare tuba,
et vel in heroo numero vel in impare sudas,
Pieriumve feris musicus autor ebur,
Mantua te stupeat, miretur Sulmo canentem,
abiiciat Flaccus, te modulante, lyram.
Adde, quod ingenuos dilectæ matris honores
nobiscum studio scis reparare pari,
Germanum modularis epos, quod Opitius ipse
approbet et similem me cecinisse velim.
Singula si referam, referam tam omnia numquam.
Est rudis ad Phœbum noster Apollo tuum.

5. Henrico Arningo Rhetori.

Diserte Rhetor, eloquentiæ latex,
Pithus cor et Suadæ jecur,
quid ausus? Ipsos inter hæreo, tuas
dum tento laudes, limites

*

15 Gulmo Hs.

Digitized by Google

et mentis anceps, qua viarum prodeam,
tot inter ambages tremo.
Confundor omnis. Hinc tuarum me vocat
callis serenus dotium,
hinc doctus ardor, quo juventuti faves,
me semita acclamat sua,
amoenus illinc trames, ut sequar, volens,
amoris invitat tui.
Et hinc, et captus illinc ambigo,
qua primus inflectam gradum.
Densi tot elegantiarum te chori,
scientiarum tot greges
vivunt in uno. Cuncta te virtus amat
et hospitem vocat suum.
Hinc ignis ille, totus in te quo flagro,
virtutis accensus face.
Nil addo laudis, hujus impar et minor,
ne te levans premam magis.

6. Reinero Brocmano, Historico, et Linguar. Prof.

Te mihi cum primus hac in urbe junctus est amor,
ille doctus, ille pulcer, ille virtutis puer,
hic adultas inter alte corda radices agit,
indicens magis magisque pullulans robustior,
vitis instar, quem sepulcro vernus evocat tepor.
Ille blanda lætus aura molle prominet caput
atque solis ad salubre cor apricatur jubar,
pingue donec huc et illuc pandet usque brachium,
et pusillos osculetur uvida botros gena.
Tunc quod assolent amantes, serio volens dedi
omne mentis, omne cordis, omne pignus dexteræ,
scilicet virtus amicum te mihi fecit tua.
Mel sub actu, mel sub ore, mel subest scriptis tuis;
mel, quod exsudant Athenæ, mel, quod a Roma pluit,
quale noster, noster ille largus hausit Maxius.
Melleus die juventæ, sis mihi dulcis diu.
Sic tibi diu suavis, sic diu sit mellea,

Digitized by Google

illa suavis, illa dulcis, illa tota mellea,
cui Venus, Juno, Cupido floreum struunt torum,
candidatus nuptiales præparat faces hymen
et Meduseum canorus inchoat Phœbus melos.
Scriptum tum temporis sponso.

7. Alhardo Boendelio, Grammatico.

Te versu memoramus inficeto,
candidissime candidissimorum,
quem Phœbus colit et colunt Novenæ
et mater Venus et puer Cupido.
Ac quamvis memoremus inficeto,
quum nobis sit iners Minerva, versu,
non tamen memoramus inficetum,
sed doctum, sed Apollinis ministrum,
sed curam Charitum Novensilumque
et decus Venerum Cupidinumque
cunctarumque cor elegantiarum.
Quam dispar ratio mei tuique est,
qui te scribere non verebar ante,
tanto pessimus omnium poëta,
quanto tu optimus omnium docentum.

8. Davidi Gallo, Musico.

Ter docte Galle, pulmo Musici cœtus
et suave guttur, infimo tibi scribo,
qui primus inter principes scholæ patres
poni merebas. Ordini locum debes,
ambo tibi se, quos serenus illustras.
Amamus illud diligentiæ culmen,
quod eruditus inscii gregis doctor
impendis omne, quicquid est opus factu.
Doces, refutas, sublinis, redintegras
fidique præceptoris omne fers punctum.
Agnosce mentem te colentis a dextra,
quod illa sentit, hæc fidelis obsignat.

Digitized by Google

9. Ad Studiosos Juvenes, ibidem.

Nec vestrum reticens decus
suspendet vetito muta silentio
Cleio, laudis apex meæ,
quæ pridem per epos me vetuit mori.
Vestras audierat minas
nuper sollicitis fervere jurgiis.
Dat quivis specimen sui,
quantus barbariei prodeat in necem.
Tunc nec cedere cereum,
nec vinci facilem, quod decuit viros,
e vobis videt unicum.
Est cunctis similis par animi vigor.
Hæc affert comitum choro
et pulcro juvenis de studio gregis,
testis non simulans rei,
toto facta redux prædicat in jugo.
Ergo dissiliunt citæ
directore novem cum patre virgines
et lauri rapiunt comam
et victura pari serta plicant manu.
Ne parvæ pigeat moræ,
si tam certa manent pignora gloriæ.
Quod vobis Hodie negat,
pendet cum duplici fœnore Cras decus.

10. Ad Aeternam Sapientiam, Votum pro Gymnasio Revaliensi.

Heic equinarum memor ungularum
molle ludentis fugit agmen undæ,
doctus hic Aon salit eruditas
subter arenas.
Frater agnati procul Othrys Æmi,
inde Parnasso socius Cytheron
annuunt pinis et hiulcus alto
Pindus Olympo.

Digitized by Google

Diva, stellato residens inani,
innubo patris generata partu,
cœlibi patris generanda semper
filia partu,
da perennanti, dea, da favore,
currat æternis ea lymfa rivis,
frondeant illi vireantque docti
jugia saltus.

Digitized by Google

SYLVARUM

LIBER VIII,

IN QUO

SUAVIA.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑΤΙΚΟΝ.

Ταῦτα σοὶ, ὦ Κυθέρεια, φέρω, σοὶ ταῦτα τίθημι,
μητέρος ὦ γλυκερὸν παιδάριον γλυκερῆς.
Ὥδε, ὑμεῖς ἃ φιλήματα πρῶτα διδάσκετε ἡμᾶς,
πρὸς κυρίους ἰδίους ἔρχεται αὐτομάτως.

ALLOCUTORIUM.

Illa fero, Cythera, tibi, tibi consecroque illa,
o dulcis matris pusio dulciculæ.
Antea quæ nobis docuistis Suavia, tandem
ad dominos redeunt sponte suapte suos.

P. F.

*

4 ἔργεται Dr.

Digitized by Google

SUAVIA.

Joanni Michaeli, Medico, Sponso, Paullus Flemmingius D. C. Q.

Medio luctui lætum quid derepente supervenire, ab hac rerum vicissitudine momentanea dependet. In quod argute poetatur Sarbievius meus:

Alterno redeunt choro
risus et gemitus et madidis prope
sicci cum lacrymis ioci.
Nascuntur mediis gaudia luctibus.
Sic fatis placitum; suis
tempestiva fluunt fata periculis.

Mensis est, cum naturæ debitum exsolvebat Georgius Glogerus, homo citra simulationem mihi amicissimus. Quod cum qua animi mei convulsione quantaque fælicitatis iactura factum sit, nemo persentit ac, qui naufragatus sum, ego. Ex amore et æstimatione amissi grandescit dolor dilectionisque generositas desiderii vehementiam intendit. Amicitiæ et necessitudinis nostræ perfectionem non tango, quam tot publica exercitia commendant, tot alba loquuntur, tot amicorum suffragia deprædicant et quam adhuc iuxta suspiria mirantur, qui norunt illum Silesium et me. Genii utrimque nostri testimonia, sed illa Phœbi Apollinis et Gratiarum, quæ illud

— — fœcundum pectus amoris

singulis ferme horis, ex debito quasi, ab illis exigebat, scrinia nostra pulsant — et vincula mordent. Quod si noster Amor hucusque intra privatos parietes latuit perque publicum conspici nimis, quod fieri solet, verecundatus est, faciam, ut, qui paucis hactenus et per transennam apparuit, iam cum animo liber, orbem literarium nudus, ceu solet Veneris ille puer, ineat seque videndum cuique exhibeat.

Dumque sic super defuncto et me fleo, de nuptiis tuis cogito, mi sponse, hoc est, mœstus de lætis. Quid facerem? Jocari solebam interdum, vivente adhuc mea et suaviorum hominum suavitate, animoque levando poematia quædam amatoria ludebam, sed casta et non nisi quæ

Digitized by Google

Gratiis probarentur. Scimus namque, quod Germanæ poesios Maro ait, deum illum ingeniorum quasi cotem esse, quo sensus stringere et acuere possumus, et res vitii expers est. Equidem, inquit iudiciosissimus Heinsius, quemadmodum in vita numquam mihi placuit philosophus, qui numquam risit, ita in scriptis eos probo, qui eum Musis Gratias coniungunt et lepores salva verecundia, venustatem citra obscænitatem amant. Amare simulamus propter fatalem illius dei vim, qua vel sola cogitatione vegetiores animos reddit et ad motus diviniores animat. Tum neque de titulo neque de patrono quicquam constabat. Jamque et ipse monebas de carmine. Ex eo lusus illos meos liberales tibi nuncupare apud animum constituebam eosque Suaviorum nomine, ex facto summorum poetarum Secundi, Douzæ, Lernutii, insignire velle definiebam. Sed tum nimis pauca erant. Mox de augendo eorum numero sollicitus pluria addebam, sed quæ meam ægrimoniam sapiunt. Tu et similes, id est, docti facile internoscetis Musæ meæ fœtus, qua quisque constellatione et conceptus et partus sit. Qui ingenui magis vobis videbuntur, eos primam tempestatem tulisse ex re augurabimini. Interea in seculum prodeuntes moestus parens sic alloquor:

Suavia, delities ludentis festa Thaleiæ,
et otiantis ingeni lenis iocus,
dum nimis audaci gestitis vadere planta,
ævi patentis introituri domos,
non metus intuti est per tot vada lubrica callis?
Vestri comes non it Favonii lepor.
Sed modo tam blandum mutaritis, aurea, nomen,
dum suavitatis suavitas vestræ perit.

Hisque bene nube, mi amice, et hunc favorem mihi perenna.

Dab. Lipsiæ, prid. Eidus Novembres, Anno Christiano MDCXXXI.

Suo Flemmingio.

Osculor ingenium, tua Suavia basio, Paulle,
queis tibi concilias oculos, os, labra, medullam.
Ipsa mihi Nympha es, mea Phyllis Amorque! Quid ergo
defit lætitiæ? Præsto mihi Phyllis et ignis!
Quando mihi laquei veniunt et tormina, curæ,
mollificantis habent emplastri Suavia vires.

*

4 iturituri Dr.

Digitized by Google

Quando venit livor, stimulat dentatus et ausus,
oppono stimulis tua Suavia, frango, retundo.
Non mihi Dianam, palpari munere suetam,
optarem præ te, fuco minioque rubentem,
usque adeo magna est nostri discretio amoris,
castus amor nostri, sacer est, ex asse pudicus.
Illatebratus enim venit de carmine primum,
quod, simul ut legi, membris infudit amorem,
nescio, quam digne, si furem dixero talem.
Inde tui totus nunc glisco incensus amore;
nec mihi vitalis sine te, o mea gaudia! vita.
Vive, meum robur, decus, et disjungere numquam.
Suaviar, amplectar, venerar te marmoreumque
efficiam, ipse meis licet ossibus osseus instes.
Sufficit hæc animo curis pictura meisque.
Ast simulacrum aliis nitido de marmore ponam.
Sed quid picturas meditor vel quid simulacrum?
Ipse meus Flemming se est impressurus in auras,
queis dabit in solido cunctis sese orbe videndum.

Johan. Nicolaus Thomingius D.

Dedicatio.

Dum teretes alii lassato pumice versus
in thalamum nitidant, optime Jane, tuum,
nos juvat ad parvi non grandia litora Plissæ
ter tres in lusus sollicitare deas.
Si placet et juvenes tibi non spernuntur amores,
huc ades ad facilis pegnia prompta lyræ.
Non decet in leni re grandes esse poetas,
et sua magniloquus fata cothurnus habet.
Horrida fulmineis iactantur classica verbis,
acer et elogium grande Gradivus amat.
Non sic blanda Venus, cui rident lenia quæque,
grandisonum curat nil levicellus Amor.
Mollia nos humili quatimus proscenia socco,
luxuriant agili Suavia nostra pede.
Non crepat aut trepidat nostra vicinia calce,
sed placet in tenui molliter ire via,

Digitized by Google

qualis amans graditur, forsan cum nocte silenti
cernitur ad charas talipedare fores.
Scilicet absconsis constant Aphrodysia sacris,
non nisi per tacitum discupit Ida coli.
Heic teneri lusus et circum frondea mille
templa ioci mollis ædituentur heræ.
Lætitiæ favet ipse polus, favet aura lepori,
garrit et in plausus lætior unda novos.
Heic ubi Varisco se Plissa maritat Elistræ,
exsiliunt pacto fedære Naiades.
Arrident clarum Satyri de monte Napæis,
jacchat et in multa Faunus Hamadryade.
Ipsa per humentes cytisos et roscida multum
gramina cum pueris dissilit Ida deis.
Huc quoque pulchripedes numero venere Novenæ,
personat hic resonum Pegasis unda nemus.
Quæque suos docto vibrissat pollice nervos,
pars palpant aures illice voce leves.
Ipseque flavicomus, tam belli præsul honoris,
umbratus festa fronde choragus adest.
Diis scatet omne solum, nil non lætabile cernes,
indefiniti gaudia finis erunt.
Heic tua sit tecum venturi temporis uxor,
cui dant purpureum nomen habere genæ.
Me ductore potes tantis te sistere festis,
cuiusvis non est hunc reperire Larem.
Ipsa locum cedet vobis Amathuntia primum
bisgeminumque Venus cinget utrimque latus.
Heic mera quæ vestris sacravi Suavia tædis,
sæpius alterno pangere jure licet,
Suavia, quæ lepidis non sunt incognita divis,
quæque tuæ nosti crebra dedisse deæ.
Illa quidem renuit primis parere petitis,
Indigetum tanto territa facta choro.
Sæpe tegit posita pudibundum syndone vultum,
sæpe parat celeres, sed sine Marte, fugas.
Genticus hic mos est illarum, nolle videri
se comptis minimum posse favore procis,

Digitized by Google

cum tamen his tacite non gratior altera turba.
Oh nimium fallax est muliebre secus!
Ast postquam in divis mage nil commune videbit,
quam dare conjunctis mutua labra labris,
mitescet facilique fide se passa teneri
dividet invito basia valga labro.
Post ubi nectareis sensus devincta salivis
cœpit in ambrosiam largior esse dapem,
mox streperis stridet vocalia Suavia labris,
omnibus et claro dimicat ore deis.
Ipsa sui prodit formosos pectoris ignes,
alitibus late fulgida luminibus.
Ignea flammantes imitantur labra pyropos,
hæc testamentum cordis amantis habent.
Quos non blanda iocos, quæ non colludia fingit?
Et nudata sinit pectora dente teri.
Emicat ex toto non spreta protervia vultu,
qualis amorosæ Cypridis esse solet,
qualis erat nitidæ facies nativa Neæræ,
Barthii ut a collo lene pependit onus.
Tu quoque nil parcente dabis, quod circumit, ore,
quo nil virginibus gratius esse solet,
quod pater omnipotens sociæ dedit ipse sorori,
quodque dedit Ledæ gratus adulter olor.
Dumque meæ vobis sic præcino Suavia Cleius,
exprime suaviolis singula verba tuis.
Forte sed ignotæ potuit tædere loquelæ;
ast interpretibus omne age basiolis.
Sic sua Lernutius dissolvit basia Hyellæ;
sic capit Heinsiadæ suavia Rossa sui.
Sic blandi gratum vobis ridere lepores
incipient, nitidi cum salibusque ioci.
Ipsa favet molli vobis Cythereia lingua;
scilicet eloquid non gravis illa dea est.
Exemplo tunc disce tuo, quam libera res sit,
serva cupidineo subdere colla jugo.
Servitium dominari hic est: heic subditus esse

91 subditus Dr.

Digitized by Google

est libertate perpetuante frui.
Ergo opus aggredimur; linguis animisque favete,
vestrum erit auditis stare, praeire meum.
Mascula successum jam spondent ordia certum,
nec poterit charæ pœnituisse rei.
Per mea sic vestræ splendescent Suavia tædæ,
donec erunt tædæ, Suavia donec erunt.

Ad Genium J. Douzæ P. Invocatio.

Douza fave, seu te socium per odora roseta
frigidaque æternis Tempe Pympleides umbris
concomitantur heræ, seu te Cythereia mystam
insinuat gavisa suum junctique cachinni
risibus indigetem sacro venerantur honore
cumque lepore joci, seu te Jovis alma beatum
aula tenet, late et pictis epulare diætis,
ambrosio niveam roratus nectare barbam;
si votis non dura tuis tibi favit amanti
ore Rosilla suo, pandis et basia labris,
basia, perpetuis tibi rumificata Camenis,
larga dedit, potes et tanti meminisse favoris:
Douza, fave facilisque meis illabere votis,
dum te per nostros instauraturus amores
lenia blandicrepis delumbo Suavia plectris,
ingenii ludentis opus Te qualibus olim
virgineo lusisse choro bifidoque Novenas
novimus ex Helicone deas traxisse, puellæ
in laudes certare tuæ, si quando procanti
udula nectareis panxisset basia labris,
federis haud oblita sui, sic Jupiter ipse,
omne poli sic vulgus amat, sic quisque deorum
æternas lambit per jugia suavia dextras.
Non aliter complexa suum sub nocte tacenti
Æneadum genitrix tractavit cæsia Martem,
non aliter Thaidem juvenis Pellæus amatam,

*

22 omni Dr.

Digitized by Google

non aliter dominæ cupiunt placuisse poetis.
Heinsiadi sic Rossa favet, sic Barbara mollis
Barlæum veneratur herum, sic compta perennem
Asterie capit Opitium, sic Belga Neæra,
insigni favitura proco, sufflamen amoris,
flammea pandebat populari labra Secundo,
officii studiosa sui. Te, Douza, Secundus,
te genium poscente suum, his adjuvit in ausis,
quum tua, quum dominæ mellita patrata Rosillæ
victuris memori mandares pollice chartis.
Me, bone Douza, juva; parili percellor ab œstro,
et verum simulo, ficta scripturus, amorem.
Non mea amatrices udarunt labra salivæ,
virginis atque rudes mecum circumfero malas.
Intentata cano, sed non ignota poetis,
quos amat ales Amor, primis quibus indere cunis
non vulgata solet; sed opinio fingere amorem
me jubet innocuum. Faciles da posse facetis
ingenuis miscere jocos. Jucunda papyrus,
non lasciva siet. Primo fac spiret ab orsu
larga Venus et multus Amor plausosque sonores
tempera in egregium vocali pectine carmen.
Tu sacri teneros juvenis moderabere lusus,
dux operæ, Douza une, meæ. Te præside nostrum
surget opus meritamque ferent mea pegnia palmam.

Fabula Suaviorum.

Ibat Acidalium spatiatum Cypris in hortum
tempore, quo vario germine vernat humus.
Floriparis gratum zephyris levis aura tepebat
et Phaethon sudum jusserat ire diem.
Convolitant circum volucres, nana agmina, divi
cunctaque gens pictis est cataphracta sagis.
Pars strinxere leves per inania cœrula cannas;

*

28 Henisiadi Dr. 33 fui Dr. 3 temebat Dr.

Digitized by Google

pars simulant fictis prælia vera jocis.
Et modo vocales geminant ex more cachinnos,
moxve strepunt mansis stridula verba labris.
Plurima pars late diffusa per herbida Tempe
sauciat audaci pollice veris opes.
Hic venetum vario summat de flore quasillum,
lilia cum niveis carpit hic alba rosis.
Hinc super expansum sternentes omne tapete
in medium matrem ver posuere deam.
Risit et ingenuo tumulata Cytheris odore:
convenit hic nobis, pignora, dixit, honor.
Albividam nitido libabat forte rosellam
nare Venus (rubras nullus alebat ager).
Hanc dea cauta parum primori dente remordens,
fatalem tepido flabat ab ore sonum.
En, rosa suavicrepo totum caput alba susurro
purpurat atque ruber mox alabastrus erat.
Quod Cypris mirata iterumque iterumque recentat.
leniter admorsis sibila blanda rosis.
Erubuere omnes. Juvenes hoc tale videntes
stant dei, in Idalias æmula turba technas.
Evolitant similique modo sub vepre sepultas
inficiunt jugi hinc inde rubore rosas.
Hinc rubræ cœpere rosæ, sic conscia facti
nil nisi sanguineum spina notata tulit.
At dea mirificos æterno nomine lusus,
quod meruit facinus, perpetuare volens:
Suave rosa est, suave ejus odor, jam suavior illa est;
nos, quæ fecistis, Suavia sitis, ait.
Sic inter suaves sunt edita suavia lusus.
Hactenus ignotum suavia nomen erant.
Hæc juvenes docuere dei. Quum mellea pangunt
virgineis tacito suavia dente genis,
lacteolæ, pudibunda rubent cito ceu rosa, malæ,
suavia næ præter suavia nulla fovent.
Post sua per totum narrabat pegnia cœlum,
cum pueris epulans Ida Cupidinibus.

Digitized by Google

Suavium I.

Suavia, nectareis mulcentia sensa susurris,
Fige mihi labiis millia dena tuis,
Basia mellitis dulcantia corda salivis
tot tibi, quot mihi das, pluria bisque dabo.
Atque alternantes bellis longo agmine bella
suavia basiolis, basia suaviolis,
confudisse juvat numerum. Sic lusibus istis
deficient cunctis millia myrjadibus.

Suavium II.

Dimicemus, o Rubella, dimicemus osculis
atque rem linguis gerentes combinemus halitus
morsicationibusque vinulis venustulis
labra nostra vellicemus et premamus invicem,
quale turtur os maritæ mormolyssans circumit.
Dimicemus, dimicemus basiationibus,
nec pili, quid hic, quid iste, quid vel ille garriat,
æstimemus, bessis omnes æstimemus unius.
Dimicemus, o Rubella, dimicemus osculis!

Suavium III.

Labra tuis quoties mea glutino, vita, labellis,
deficis in partes ipsa nec ipse meas,
clam mihi surripior fixisque amplexibus hærens
sentio me sensim dememinisse mei.
Exspiro lentus mentemque trahens paullatim hic,
immiscet vestris halitus halitulis.
Concido solvanima sic tandem morte peremptus,
nec tamen in lapsu vellor ab ore tuo.
Tale videns animam prius imbibitam ocyus efflas;
suscitat exstinctum nobilis aura procum.
Inde revivisco, tamen haut mea sola redivit
mens animi, mistam hanc arbitror esse tua.

*

III. 5 hic paullatim Dr.

Digitized by Google

Langueo dimidius, semissi corde valesco
et sine te bene me totus habere vetor.
Suffice, quæ tua sunt in me, mea vita, tuumque
esse decus reputa, quæso, valere meum.
Me tepidis suffige labris, tibi calda repandam,
jugibus hinc ambo vivimus halitibus.

Suavium IV.

E natatilibus tuis ocellis
gliscit larga, Rubella, larga flamma,
quaque fortior acriorque flamma.
Hæc fibras mihi cordis urit imas,
emedullat et ossium cavernas.
Sed malum poteris cavere tantum.
Illos da geminos tuos ocellos,
illos flammivibros tuos ocellos
rigem suaviolis frequenter udis.

Suavium V.

Suave, Rubella, rubes malas et suave labella;
erubet Idalias illa nitela rosas.
Qualiter e picto lucet Matuta cadurco,
talis es in mundo, bella Rubella, tuo.
Mox rosa marcescet, raro est Aurora bihoris.
Utere, donec habes: sic tua forma perit.

Suavium VI.

Si me, te quoties suaviabor,
non voles iterum suaviari,
si me, te quoties mihi applicabo,
non voles iterum tibi applicare,
non Rubella mihi, sed es rebellis.

Suavium VII.

Te veneficii ream
accuso, mea lux. Nam quoties tuos

Digitized by Google

halantes animam bonam
afflatus avidis haurio motibus,
an læter magis, an gemam,
captus vexanimis nescio fascinis.
Mox auræ rude cor novæ
fatali insolitum sussilit impetu
et fervens subitam genas
per pictas loquitur lætitiam jecur.
Toto corpore ferveo
et pulsus positam fortius auctior
tundit cum sonitu manum.
Est ignara sacri mens mea flaminis,
admirata celerrimam,
quantam vix licuit, ferre potentiam,
ingenti quatitur metu
et contacta cito dux ratio rogo
confusis hebet ordiis.
Hinc malas tremulus pallor obambulat,
totus dissimilor mihi.
Quantum luctificis vagio planctibus!
Quantum lancino crinium
et pectus nocua pulto gemens manu!
Solum non miser enecor.
O tantæ, mea lux, sons malehabentiæ,
quei sic immeritum feris?
Quei sic innocuum discrucias caput,
tantum non capitis rea?
Heus! aut perpetuis perpetuantibus
auris da mihi suavium,
aut a me penitus post tibi tempera.

Suavium VIII.

Quæ vitam faciunt beatiorem,
cuncta, cuncta latent tuo sub ore,
ore, nectare dulciore dulci,
cuncta, cuncta sub hoc latent, Rubella.
Quum me nexilibus recondis ulnis

Digitized by Google

et tenacibus implicas lacertis,
fruor dimidia beatitate.
Ast quum suavia, suavia illa vestra,
quovis melle mihi favoque quovis
et mellita magis magisque grata,
me fatalibus imbuunt salivis
et sufflant genialibus susurris,
qua sum, Jupiter, in beatitate!
Non ipsam Indigetum beatitatem
esse posse, reor, beatiorem
illa, quam mihi dant beatitatem
illa suavia, suavia illa vestra,
quovis melle mihi favoque quovis
et mellita magis beatitate,
qua non Jupiter est beatus unus,
qua cunctique dei deæque cunctæ
creduntur mage, quam cluent beati.
Illa suavia, suavia illa sola,
præ queis non cupiam beatus esse,
vitam mi faciunt beatiorem.

Suavium IX.

Mirari modo desine,
quid tam continuus tua
basiare labellula,
osculum catus helluo,
optem, bella Rubella.
Nunquam mellilegæ suam
oderunt volucres Hyblam,
arva nec streperis carent
rorulenta cicadis.
Succosas juvenis caper
in dapem saliceis amat
et nanas capra vernula
exalburnat olivas.
Altores animæ tua
sunt, Rubella, meæ labra.

Digitized by Google

Non tu suavia das mihi,
sed necesse alimentum.

Suavium X.

Effigies Rubellæ.

Fallor an, an dominam, veram videone Rubellam?
Brutave perversum fallit imago procum?
Hoc caput, hi crines, hæc frons, hæc tempora, nares,
labra, genæ, mentum, brachia, colla, manus,
omnia sunt dominæ. Quin ipsa procatur amanti
semper ad adspectus pupula versa meos.
Semihiulca rubris connivent oscula septis
suaviter admoto labra datura labro.
Fare, age! Quid differs? Quid stas? Quid inanibus ausis
tendis in amplexus brachia lenta meos?
Fare, age, seu domina es, dominæ seu nobilis umbra.
Sed palpaturam diffugit umbra manum.
Non domina es, non fando probas; nec sola tabella,
nam vitam spirant os oculique meam.
Quicquid es, o nimium nostræ res fascina mentis,
o nimis in sensus imperiosa meos!

Suavium XI.

Ad Stellas.

Dei minores, aureum poli germen,
Jovis Quirites, lucis ignei fratres,
umbrarum alumni, noctis excubatores,
ævi senentis temporumque custodes,
patentis impigri notarii mundi
summæque digni curiæ senatores,
qui cum parente temperatis ingenti
volumen universitatis immensæ
rerumque testes æqua iura libratis,
si quid beatum, conscii meæ sortis,

*

X. 6 popula Dr.

Digitized by Google

vestri minantur non malo mihi fasces
meumque vellus parca nevit haut dura,
quid invidetis auream mihi lunam,
quando volens mihi Rubella jungetur?
Guberniones utriusque fortunæ,
originis recordor ex bono vestræ.
Vos ipse festivus Cupido produxit,
quando feriret basiis deas multis,
nec computare, quot dedisset illorum
valens, rei indices polo notas fixit.
Hinc vos rotantes exstitistis Empusæ.
Favete amanti basiare nec sanum
semper mihi negate, basiis nati!

Suavium XII.

Sertum.

Quod mihi virgineo digestum pollice sertum
missiculas, teneri lene favoris opus,
accepi, mea lux. Stactem fragrabat et ambram,
fluxit et ambrosio dulcior aura mero.
Scilicet hoc avidis admoto naribus, omnes
ebibi inexpliciti creber odoris opes.
Pura per adspersos rorabant suavia flores,
suavia, te socio digna datrice tuo.
Has festina sacras lingebat lingua salivas;
suavia mille tuli, suavia mille dedi.
Nil sapuisse magis dico quam roscida mella,
nil et odoratum flore fuisse minus.

Suavium XIII.

Tot basiationes,
quot Publio Corinna,
quot Lesbia Catullo,
Messala quot Tibullo,

*

XI. 19 quod Dr. XIII. 3 Lesbie Dr. 4 quod Dr.

Digitized by Google

Neæra quot Secundo,
Rosilla quot Douzæ,
quot Margaris Mureto,
quot Hebio Diona,
quot Barthio Neæra,
Rosina quot Melisso,
Propertio Licynna,
Harmosine Grutero,
Borbonio Rubella,
Blypurgio Rosalba,
Bathyllum Anacreonti,
quot Anna dat Sabino,
quot Tyndarisque Flacco,
Lernutioque Hyella,
Camilla quot Marullo,
Diana quot Gyraldo,
Leonora Buchanano,
Cottæque quot Lycoris
Lalage Schönhovioque,
quot Heinsioque Rossa,
tot basiationes,
tot una da mihi uni,
Rubella, suaviatus,
quin basiationes,
quot a suis puellis,
cuncti petunt poetæ,
cuncti ferunt poetæ;
tot atque suaviatus,
quot a suis poetis
cunctæ petunt puellæ,
cunctæ ferunt puellæ,
tot basiationes,
tot una da mihi uni,
Rubella, suaviatus.
Nec tot, Rubella, solum,
quot quæque dat poetis

*

21 Leorina Dr.

Digitized by Google

sibi puella charis,
mihi da suaviatus;
nec tot, Rubella, solum,
quot quisque dat puellis
sibi poeta charis,
mihi da suaviatus:
sed centies mihi da,
ter centies quaterque
plures, Rubella, cunctæ
quam dant suaviatus
amasiæ poetis.
Ter millies mihi da,
sex millies mihi da
plures, Rubella, cuncti
quam dant suaviatus
æmasiis poetæ.
Agesis, ut ex puellis,
ex omnibus puellis,
agesis, ut ex poetis,
ex omnibus poetis
ipsis suaviisque
depræliando victis,
victis suaviando,
agamus ambo clarum,
Rubella, fac, triumfum!

Suavium XIV.

Ex imitatione Scaligeri P.

Quos mihi transmisit varios nullo ordine flores,
perpetui indicium grande favoris erant.
Vidit in Idaliis carpentem Cypripor hortis
nec vetuit, matrem dum putat esse suam.

Suavium XV.

Non sic cruentis saucius ictibus
per tesqua, cautes, avia rupium,

Digitized by Google

fatale dyctamnum doloris
lenificum tacitamque curam
cursura anhelat cervus in anxia;
aut fulminatus glandibus igneis
ursus petitus, vulneri udum
quæsitat inseruisse muscum:
ut anxiosis adpropero tua
suctum labella, lux mea, nisibus,
labella, quæ semper doloris
sensit anodinon impotentis
mens fracta curis, morbida mens tui
vel tamdem habendi. Sat rigido datum
dedisce jam semel furorem.
Perdere servitiis paratum
injuriosum est. Quid juvat in meum
ridere lethum? Non metuis deos?
Observat ultor omne cœlum,
odit et interimit superbos
furente vindex igne Diespiter.
Mollesce, dura! Non mage, quod nefas
Adrastiæ irritat flagrum, quam
supplicium miserere nolle.
Ignosce furto, sic puto, non malo.
Num bina tanti suavia, quæ tibi
non prorsus invitæ labello
surripui bene temperato,
ut æviternos zelotypa manu
discordiarum in me jacules globos
solesque tot cruda misellum
bile pluas caput immerentis?
Non imber æthram continuus nigrat,
nec semper aureum Cynthius essedum
fumante fuscari vapore
sivit. At expedit heic necessis
necessitudo. Frange vicem semel
nobis molestam. Discute nubilæ

*

3 dyctamum Dr.

Digitized by Google

fuligines mentis levatas
sudificumque refer nitorem!
Mi, Phœbe, luce! O unica plus mihi,
quam Phœbus orbi, diffluo, diffluo!
Vel paullum apricari tuorum
me radiis sine ocellulorum!
Agnosco crimen. Deprecor in genu,
Rubella, fusus. Parcere regium est.
Regina nostræ o una vitæ,
desine torvituentiarum.
En mortuali tincta rubigine
mihi ora livent, ruga secat cutem,
ut mortualis larva oberro.
Intolerabile te carere.
Quid, lenta, tardas? Non satis est moræ,
movenda nullis nec prece, nec fide?
Queis februis es expianda,
o nimium nimiumque sæva?
Ah vultuosa, quid vitilitigas?
Me vel Themista judice libero
tantoque plectendum vel unquam
juro patrasse nihil rigore.
Quod si sat insons non videor tibi,
heus! esto judex Aeacus, ut voles,
qui lite vix primum relata
me absoluet, tibi sed decentem
pœnam irrogabit, quo mihi ter tria
nolens volensve suavia pro meis
statim rependas. Sic rubebis
ante tribunal heri severum.
Sed, bella, nictas? Sævus ero minus.
Mox ipse rixam, si pote, dirimam.
Cupido judex, testis, actor
sit. Quid enim rabulas moremur?
Non paret ullis Cypria legibus,
nec e rubricis verus amor sinit

*

74 disrimam Dr.

Digitized by Google

se judicare. Damnet hic me,
damnet et ulterius fatiget
me jure verso. Poena mihi placet.
Cedo labellum, lux mea, blanditer
et nexuosas colla circum
stringe manus mea, more vincæ
cauli procantis. Tunc ego jus meum
amitto lætus, si tibi suavia
nefrendibus subinde labris
millia mille, Rubella, figam.

Suavium XVI.

Tota, tota Rubella, tota pulcra es.
Omnes delicias lubentiasque,
omnes blanditias facetiasque,
queis rorat Cypris et madent Amores,
præstat una Rubella, præstat una.
Quicquid est Venerum Cupidinumque
in toto genio Catulliano,
quicquid est Charitum Novensilumque
in toto genio Secundiana,
illarum quid et est, quid est et harum
in toto genio Douziano,
vincit una Rubella, vincit una.
Aspectus probat hoc probantque mores
et imbuta lepore lingua largo,
præ qua non lepidus lepor vocandus.
Hæc uno mihi fascinare verbo
et potest animam, potest et aurem.
Quando gutture disserente divum
blanditim fluidas amicat auras,
non sic ætherium sonat melisma,
cum molleis Hecate vagans choreas
leni digerit in meloda planta.
Non sunt bis gemini illi ocelli ocelli,

*

18 disserenti Dr.

Digitized by Google

sed sunt uranimæ faces gemellæ,
quæ vitam mihi dant necantque rursum.
Non sunt aureoli comæ capilli,
sed sunt molliculæ comæ numellæ,
queis me dulcacidus puer catenat.
Nec genæ geminæ genæ vocandæ
confusæ potius rosæ vocandæ
et divergia bina florisucca,
quæ sua alliciunt amoenitate
mentes prætereuntium procorum.
Quin nec ista labella sunt labella,
sed sunt propatulæ labella portæ,
per quas extroit introitque rursum,
transmissore corallino canali,
flamen lene suaveolentis auræ,
auræ messibus æmulæ Sabæis.
Quin nec turgidula illa sunt papillæ,
fastu tam nitido sororiantes,
sed sunt marmoreæ pilæ vocandæ,
queis pellax Amor inter osculandum
jussit ludere pendulos amantes.
Illos lacteolas manus diserte
tamnos dixeris esse nexuosas,
queis, velut periclymenos columnas,
circumnexat amantium lacertos.
Sed quid cuncta referre, cuncta pergam,
quum nec cuncta referre, cuncta possim,
nec ausim quoque vulgitare cuncta?
Hæc externa fuere. Sed quid intra?
Intus, intus habet Venus, quod opto,
quod mecum teneri petunt amantes,
præ queis extima nulla sunt putanda.
Pulcra et extus et intus est Rubella,
tota, tota Rubella, tota pulcra est.

*

24 uraminæ Dr. 46 tamos Dr.

Digitized by Google

Suavium XVII.

De Rubellæ effigie.

Quicquid ad externum potuit fecisse nitorem,
Parrhasiana tibi contulit omne manus.
Cætera, quæ nequeunt arti parere magistræ,
quæ, nisi quisque ipse, pingere nemo potest,
ipsa Rubella mihi corde effigiavit in imo,
impressans animæ suavia fixa meæ.
Sic dominam quovis circumfero nomine totam,
extima sub braccis, intima corde gerens.

Suavium XVIII.

Marmorei digiti, manuum par nobile quinum,
vosque, alabastrividum par, o utræque manus,
sæpe quibus dubii furtim loquitantur amantes.
Oris inora suam sunt in amore vicem.
Quis putet in vobis tantum latitare furoris,
